

M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA
Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08
Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

QUID NOVI AUTUMNO TEMPORE

Gratum est nuntiare numerum Melissa subnotatorum hac aestate multum auctum esse. Multas gratias agimus eis quorum indefessa navitate hoc fieri potuit. Iucundum etiam fuit lectorum epistulas accipere, quibus dicebant se Melissa delectari atque nos hortabantur ut inceptum strenue persequeremur. Quibus incitata Melissa statuit nova instrumenta impressoria acquirere, quibus plura exemplaria facilius edi possent, meliore impressionis qualitate, quibus etiam imagines fierent pergraphicae.

Oportet tamen multo plures fiant lectores Latini ut verum prelum Latinum crescere possit. Quare omnibus amicis nostris suadere ausim ut circa se quisque faciat praeconium ad novos lectores alliciendos.

Non solum plures lectores sunt necessarii sed novos scriptores allidere volumus. Si quis aliquid sive novum sive iucundum sive attractivum narrandum habeat, ne dubitet scriptum ad Melissam mittere. Si sunt, qui egeant satis magno usu in Latine scribendo, eos libenter adiuvabimus. Praeterea nostra multum etiam interest certiores fieri de omnibus eventis quae pertinent ad Latinitatem necnon ad institutionem scholarum Latinam in omnibus orbis terrarum regionibus. Pro certo enim habemus singulis prodesse ea scire quae ad Latinitatem pertinent in di-

versis regionibus praesertim Europaeis.

Si quis ergo in sua regione aliquid scitu dignum compererit, nobis gratum erit nuntium accipere.

DE UNIONIS LATINAE COLLOQUIO ROMANO

Diebus 2 et 3 m. Octobris habitum est Romae in palatio Barberini colloquium internationale, cuius thema erat «lingua Latina, futurum intelligentiae Europaeae». Quod colloquium instituerat consociatio internationalis c.n. Unio Latina, quae sibi proposuit res linguisticas, scientificas, technicas et culturales curare pro 24 civitatibus, ubi adhibentur linguae ex lingua Latina ortae. Unio Latina tres sedes habet in Europa, Romae, Olisipone et Parisiis (65 boulevard des Invalides - 75007 Paris; tel. 33-47.34.94.29). In colloqui praeconio nuntiatur moderatores pro certo habere linguam Latinam magni momenti esse ad identitatem Europaeam formandam. Colloqui participes in duos globos divisi sunt, quorum unus disputavit de utilitate institutionis Latinae ad rigorem scientificum exercendum, alter inquisivit cur in programmatibus scholaribus minima pars nunc tributa esset studio linguarum classicarum (i.e. Latinae et Graecae).



Hoc sepulchrum est unum ex antiquissimis Musei Romani Coloniensis, ut apparet e nomine Gallico, nondum romanizato, patris illius Bellae. Ceterum Valtherus Fuchs, musei mystagogus, serie symbolarum lectoribus mox ostendet mirabilia Coloniensia.

DE LATINITATE MEDIAEVALI IN TERRIS HODIERNAE SLOVENIAE

ORATIO INTER SCHOLAS FRISINGENSES HABITA DIE 2 M. AUG. ANNO 1990

A PROF. CAIETANO GANTAR LABACENSI

Magno mihi gaudio et honori est haec occasio a vobis, amici et sodales, oblata, ut mihi media in Bavaria, hoc concursu bonorum et doctorum, de patria mea, de litteris Latinis mediaevalibus in patria mea conscriptis et conservatis loqui liceat.

Gaudium et superbia mea eo maiores sunt, quod mihi in ipsa Bavaria, in terra, quae nobiscum iam ab antiquissimis temporibus coniunctissima est, nunc morari et loqui liceat. Nam - ne longis vos sermonibus morer et ut in medias res progrediar - exstant libelli in medio aevo conscripti, e quibus apparet maiores nostros saepe una cum Bavaribus sive Bagoariis impetus hostium barbarorum reppulisse, una cum Bagoariis fidem Christianam et una cum fide Christiana et cultum et litteras Latinas accepisse. Quorum amplissimus et vetustissimus est libellus qui «Conversio Bagoariorum et Carantanorum» inscribitur, cuius auctor nobis ignotus est, sed sine dubio sacerdos quidam ecclesiae Iuvavensis sive Salisburgensis erat. Hoc opusculum, in saeculo nono conscriptum, anno 1556 primum editum est; editionem principem multae editiones posteriores secutae sunt, quarum ultimas Milko Kos (1936), professor Universitatis Labacensis, et Herwig Wolfram (1979), professor Universitatis Vindobonensis, edendas curaverunt.

Nomen Carantanorum, quod una cum Bagoariis in titulo huius opusculi apparet, nihil aliud nisi maiores nostros Slavos sive unam ex stirpibus Slavorum significat, sicut et ex ipso opusculo perspicuum est, cum in capite tertio inter alia haec leguntur: «Nunc adiciendum est qualiter Sclavi qui dicuntur Quarantani et confines eorum fide sancta instructi christianique effecti sunt.» Deinde de ducibus Slavorum sive Carantanorum narratur, quorum duo, Carastus (Gorazd) et Cheitmarus (Hotimir) in Bavaria in domo regia et in insula Ava, in lacu Chemingo, qui est tamquam mare Bavariae, sita, annos juveniles degebant. Tum presbyteri et diaconi Bagoarii nominantur, qui in Carantaniam missi sunt, ut fidem Christianam propagarent, velut Heimann, Reginbaldus, Maiorannus, Duplitter, Gozharius, Erchantertus, Reginharius, Gundharius. Postremo narratio iucundissima de duce Carantanico Christiano Ingo sequitur, qui erat «multum carus populis et amabilis propter suam prudentiam, cui tam oboediens fuit omnis populus ut si cuique vel carta sine litteris ab illo directa fuit (sic!) nullus ausus est suum neglegere praeceptum.» Qui etiam hoc, ut ad verbum narrationem opusculi reddam, mirabiliter fecit: «...servos credentes secum vocavit ad mensam, et qui eorum dominabantur

infedele, foris quasi canes sedere fecit, ponendo ante illos panem et carnem et fusca vasa cum vino, ut sic sumerent victus. Servis autem staupe deauratis propinare iussit. Tunc interrogantes primi deforis dixerunt: Cur facis nobis sic? At ille: Non estis digni, non ablutis corporibus, cum sacro fonte renatis communicare; sed foris domum ut canes sumere victus. Hoc facto fide sancta instructi certatim cucurrerunt baptizari. Et sic deinceps religio christiana succrescit.»

Neque tamen Bavaria terra solum, sed et ipsa haec celeberrima et antiquissima urbs Freisinga maximi est momenti ad historiam maiorum nostrorum Slavorum, praesertim ad historiam litterarum investigandam et recte iudicandam. Nam vetustissimum vestigium non solum linguae Slovenicae, sed cuiuslibet linguae Slavicae existimantur Monumenta Freisingensia, quae diu in monasterio Freisingensi Sancti Corbiniani conservabantur, unde anno 1803 in bibliothecam Monacensem translata sunt, ubi et nunc inveniuntur. Haec monumenta, ut viri docti iudicant, qui iudicium suum argumentis potentissimis probaverunt, saeculo decimo exeunte conscripta sunt, quorum editionem criticam doctissimus Bartholomaeus Kopitar, princeps philologorum Slavorum praeteriti saeculi, in libro suo, qui Glagolita Clozianus intitulatur (1836), curavit. Postea, usque ad dies hodiernos, plus quadringentae disputationes editae sunt, in quibus haec Monumenta Freisingensia tractarentur et explicarentur: nullus textus tam brevis lingua Slava conscriptus inveniri potest, qui a tot et tam doctis viris investigetur!

Sunt autem haec monumenta tres preces, quarum prima et tertia confessionis formulam, media Adhortationem ad poenitentiam continet. Quarum pulcherrima est Adhortatio ad poenitentiam, sermone lepidissimo conscripta, figuris poeticis abunde ornata, legibus congruentiae et concinnitatis subordinata. Cuius Adhortationis auctor, nobis ignotus, non solum linguae Slavicae, sed etiam Latinitatis compos erat. Nam in eodem codice Freisingensi sive nunc Monacensi cum eadem manu Latine conscripta est Laus Psalmorum. Facere non possum quin vobis initium huius laudationis hic repetam:

*Quid enim in Psalmis non invenitur,
quod proficiat ad utilitatem,
ad aedificationem,
ad consolationem humani generis?
Omnis aetas in Psalmis habet,*

*quod delectetur:
 habet infans quod iaculet,
 puer quod laudet,
 adulescens in quo corrigat vitam suam,
 iuuenis quod sequatur,
 senior quod precetur;
 discat femina pudicitiam,
 pupulli inveniunt patres,
 viduae iudicem,
 pauperes protectorem,
 advena custodem,
 audiant reges et iudices,
 quid timeant.
 Psalmus tristem consolat,
 laetum temperat,
 iratum mitigat, inertes suscitatur,
 fastidiosos oblectat,
 peccatores ad lamenta invitatur,
 pauperem recreat,
 divitem ut se agnoscat increpat.
 Omnibus omnino suscipientibus se
 aptam medicinam contribuit.
 Non peccatorem et errantem despicit,
 sed remedium ei per poenitentiam
 salubriter ingerit...*

Neque tamen monumenta Latinitatis, quae in medio aevo in terris nostris exstiterunt, in bibliothecis peregrinis solum, sed etiam in ipsa Slovenia conservantur. Latinitas praesertim in coenobiis instituebatur et colebatur, quorum praestantissima erant monasteria benedictinorum, cisterciensium, cartusianorum. Haec monasteria etiam scriptoria et bibliothecas copiosas possidebant, sed magna multitudo codicum incursionibus Turcorum, incendiis, vermiculis aliisque calamitatibus deleta est. Itaque hodie in tota Slovenia vix circiter ducenti codices mediaevales exstant, quorum dimidia paene pars in Bibliotheca Nationali et Universitaria Labacensi conservatur. Neque tamen hic numerus tam parvus, ut videtur, est, nam in his sunt etiam codices spatiosissimi, quorum singuli viginti vel etiam plures tractatus continent.

Maximam partem codicum mediaevalium libri religiosi constituunt, velut versiones variae Sanctae scripturae, patres Latini, martyrologia, legendae, vitae sanctorum, homiliae, laudationes funebres, sermones ad electiones abbatum, tractatus et compendia theologica, statuta, instituta, consuetudines ordinum, peregrinationes in terras sanctas et similia. Numerosissimi sunt certe libri sancti Augustini, sancti Hieronymi, sancti Thomae de Aquino. Sed praeter religiosos etiam libri profani, rariores quidem, nihilominus gravissimi inveniuntur, velut codex illius celeberrimae fabulae romanensis «Barlaam et Iosaphat», Etymologiae sive Origines Isidori Hispallensis, scripta pseudoaristotelica Secreta secretorum etc.

Sane quae adhuc commemoravi, paene omnia sunt exemplaria vel versiones librorum alienorum. Sed praeter haec et opera et opuscula inveniuntur, quae in terris nostris exstiterunt, quorum auctores nostrates vel peregrini fuerunt, qui in terris nostris diutius morati sunt et populum nostrum adamaverunt.

Splendidissimi et memoratu dignissimi mihi codices esse videntur, qui ex monasteriis cartusianis

originem ducunt. Nam in terris hodiernae Sloveniae quattuor cartusiae fuerunt: duae in Carniolia, duae in Styria Inferiore, quarum vetustissimum et ditissimum erat monasterium in Zice (Seitz) situm. Itaque, ut exemplo utar, Paolus Santoninus, qui saeculo decimo quinto exeunte iussu papae hoc monasterium visitavit, nos certiores fecit in bibliotheca huius monasterii duo milia librorum et codicum fuisse, quorum maxima pars manu scripta est. Quarum divitiarum hodie vix 44 codices exstant. Alterum monasterium cartusianorum est situm Gyrii (Jurkloster, Geirach). Duo, ut supra memoravi, fuerunt in Carniolia, quorum unum, in Valle Iocosa (Bistra, Freudenthal) situm, item bibliothecam copiosissimam possidebat, alterum et novissimum in Pleterje est unica cartusia quae in dies hodiernos in tota Iugoslavia permansit.

Sane fratres cartusiani non solum nostrates fuerunt, sed - ut in cartusiis hodie quoque mos est - saepe e terris alienis in nostra coenobia venerunt. Itaque, ut exemplo utar, Gyrium, quod est in Styria Inferiore situm, Suetonius quidam nomine Syferidus pervenit, qui frater cartusianus factus est et in solitudine cellae poenitentiam faciebat pro peccatis iuventutis suae. Erat autem hic Syferidus, ut modo memoravimus et ut ipse ait, ex Suevia natus, «quem nunc nutrit Sclavonica tellus». Ipse se in versibus suis accusat patris hereditatem omnem dissipavisse et feminae dotatae, cui nomen Hellae erat, nupsisse, quae tamen post breve tempus diem postremum obiit. Ut patris hereditatem, simili modo et dotem uxoris suae iam defunctae temere dissipavisse. Ipse confitetur in annis iuvenilibus crimina, «quae sunt, heu, gravia» commisisse, sed cella eum peregrinum e Sathanae faucibus rapuit, quam ob rem huic cellae animo gratissimo laudes reddit eamque cum omnibus, quae sunt in orbe terrarum pulcherrima et splendidissima, componit:

*laus tibi sit, cella, rutilas quasi fulgida stella,
 laus tibi sit, cella, quam mitia sunt tua bella,
 laus tibi sit, cella, quia vincis quaeque duella,
 laus tibi sit, cella, tua proelia sunt mihi mella,
 laus tibi sit, cella, tua diligo semper flagella,
 laus tibi sit, cella, te non quatit ulla procella,
 laus tibi sit, cella, te diligo plus domicella,
 laus tibi sit, cella, flores ut virgo tenella,
 laus tibi sit, cella, plus es mihi gratior Hella,
 laus tibi sit, cella, resonat tua dulce phihella,
 laus tibi sit, cella, coluit quem virgo puella,
 laus tibi sit, cella, quia me portat tua sella,
 laus tibi sit, cella, quia respuit invida fella,
 laus tibi sit, cella, vetus an sis sive novella,
 lector dic amen dictanti dando iuvamen.*

Et in aliis poematis partibus Syferidus undique figuras et imagines poeticas quaerit et congerit, quibus cellam iuste celebrare et laudare possit. Itaque, ut exemplo utar, et haec scribit:

*Cella dat omne bonum, facit et te cella colorum
 regni caelorum regi sociando polorum.
 Quid tibi plus dicam? Cellam foveas ut amicam,
 ipsa tibi mater, soror, et tu sis sibi frater,
 coniunx, patronus illi sis atque colorus.*

Ceterum Syferidus noster poeta doctus est, Scripturae Sacrae peritissimus. Quid mirum, si cellam cum locis Scripturae pulcherrimis comparat, velut:

... tu currus vatis Helyae,
tu Iacobi es scala, tu casta turturis ala,
virtutumque phala, quae servat punica mala.
Tu vis Sampsonis, tu concha madens Gedeonis,
mitibus atque bonis tu das sceptrum Salomonis.
Es Samuelis ephod, tu diceris hospitium Loth

...
Cella David pera conservans corda severa,
cella David baculus, leo quo cadit asper et ursus.
Amon stuprator cellae non exstat amator,
cum perit ingratus fratris mucrone necatus.
Cellam servavit Salomon, dum sacrificavit
atque deo templum, sicut legis, aedificavit;
et muliebris amor dum cor regis sepelivit
ydola dumque coluit, a cella longius iuit.
Cellae perque vias transiit rex Ezechias,
hic velut oravit, dum Sol cursum variavit,
atque sibi dominus annos dum multiplicavit.

Idem poeta Syferidus Suevus etiam carmen panegyricum scripsit in honorem fundatoris coenobii, ducis Leupoldi VI Babenbergensis. In quo carmine virtutes et merita fundatoris extolluntur eique summa gratia redditur:

... Item grates duci do, mihi dat quod victum,
tectum, lectisternia, omnem et amictum.
Eius elemosina meum et delictum,
quod hic plango iugiter, spernens mundum fictum,
qui me prius tenuit captum et devictum;
ducis elemosina plus est mihi grata
patris quam hereditas, a me dissipata,
et quam dives femina mihi copulata,
quae tamen in requie oro sit beata. Ameri.

Neque tamen Gyrii solum, sed etiam in aliis cartusianorum monasteriis litterae Latinae florebant. Erant enim fratres cartusiani Latinitatis amantissimi, quam ob rem linguae Latinae diligenter studebant eiusque grammaticam et thesaurum vocabulorum magno cum acumine investigabant. Horum studiorum gravissimus testis est nobis Codex [46] Labacensis, ex monasterio in Valle Iocosa sito oriundus, cuius quintam partem, id est octoginta paginas (f. 155-194'), Tractatus de accentibus Latinis occupat, ubi de differentiis singularum litterarum, syllabarum earumque quantitate, de consonantium, vocalium, diphthongorum subtilitatibus accurate disseritur. In eodem codice etiam sex vocabularia Latina inveniuntur, quorum tria in versibus Latinis, id est in hexametris et distychis elegiacis, conscripta sunt, ubi mille et plura vocabula poetice explicantur et distinguuntur.

Haec vocabularia nobis pulcherrimam praebent occasionem intuendi, qua ratione in scholis mediaevalibus lingua Latina instructa sit, praesertim quam saepe et quomodo subsidia artis memoriae, quae vocabulo docto Graecae originis hodie ars mnemotechnice nominatur, adhibita sint. Quam ob rem mihi singulas voces ex his vocabulariis illustrare liceat!

Persaepe in vocabulariis verba inusitata et rarissi-

ma explicantur, velut: taures, tucetum (i.e. cibus carnalis, qui vocabulo Francogallico hodie *roulade* appellatur), gemellipera, letofragus, napta, stratilates etc:

Taures sit dictum de tauri pelle flagellum.

Tucetum dic pulmentum de carne paratum.

Esto **gemellipera** geminos pariens tibi dicta.

Vermis **letofragus** est rodens corpora dictus.

Ignem **napta** fovet manatque bituminis instar.

Stratilates tibi dux est quivis militiae trux.

... Saepe in versibus duo vocabula similia vel duae notiones eiusdem vel similis vocabuli distinguuntur, velut:

Bindonem producit equus coniunctus asellae,
et **mulam** generat mixtus asellus equae.

Qui genus explanat serie, **genealogus** extat,
totius generis princeps **genearcha** vocatur.

Consultor rogitat, **consultus** consilium dat.

Pupillus matre caret, **orphanus** est sine patre.

Nonnumquam non solum duo, sed tria vel plura vocabula distinguuntur, velut in his versibus, in quibus sex genera poeseos numerantur et explicantur:

Castigat **satyra**, sed **elegia** cantat amores,
mitologia quod est fictum, **comedia** villa,
vera dat **historia**, **tragedia** turpia regum.

In his versibus septem genera pastorum definiuntur:

Mango caballorum sit porcorumque **subulcus**
est asinorum **agazo** boumque **bubulcus**,
mulio mulorum dux **ennoricus**que caprarum,
nam capra est **ennos**, ovium sit **opilio** pastor.

Quattuordecim venti varii in his quinque versibus ante oculis nostris progrediuntur:

Ventorum species versibus complectito istis:
sunt **subsolanus**, **vultur** et **eurus**, **eous**,
circinus, **occasus**, **zefirus**, **favonius** afflant,
et veniunt **aquilo**, **vultur** et **chorus** ab ortu
atque die medio **nothus** inflat, **affricus**, **austro**.

Creberrimi sunt versus, in quibus verba synonyma copulantur, velut histriones tredecim variis vocabulis designari possunt:

Histrion vel **palpo**, **mimus**, **scurra** vel **gesticulator**,
est **epulo**, **nebulo**, **parasitus**, **scurra**, **leccator**,
iungitur **ardaleo** comedes vel **ioculator**.

Sedecim denominationes stultorum in his quinque versibus insunt:

*Est fatuus stultus, erroneus insipiensque,
indoctus simul insipiensque, coniungitur illis
incautus, brutus, imprudens inqueperitus,
insciis, insulsus, simplex ydiorhaque, follus,
hiis inconsultus addatur inquefrunitus.*

Quindecim sunt locutiones, quibus Latine mors describitur:

*Interit, expirat, moritur, defungitur atque
occumbit vel obit, dissolvitur, exanimatur,
tollitur e medio, naturae debita solvit,
naturae nostrae solvit generale tributum,
clausit ponentem supremo funere vitam,
carcere corporeo resolutus spiritus exit,
mortuus est mundo, victurus postea Christo.*

Haec sunt synonyma amandi vel optandi:

*Affecto vel amo, cupio, desidero, glisco,
opto vel admiror, aveo vel gestio, capto.*

Ecce synonyma auguris:

*Augur, sortilegus et divinator, aruspex,
atque mathematicus illis sociatur et auspex,
additur ariolus, hinc dicitur ariolari.*

Creberrimi sunt etiam versus, quibus discipuli homonyma discernere discant, velut

Cum dape vescor, edo, dum sermones loquor, edo.

Quaeritur ignotum, queritur qui perdit amicum.

Vitem propago, bibet inde futura propago.

Mala mali malo mala contudit omnia mundo.

*Gallus avis, Gallus populus Gallusque sacerdos,
est Gallus fluvius, qui bibit inde sinit.*

Est arbor acer, vir fortis et improbus acer.

Sane hi versus non omnes in coenobio cartusiano in Valle Iucunda sito facti sunt, sed eorum magna multitudo in variis terris Europae in lingua Latina docenda adhibebatur, quippe qui etiam in aliis codicibus et libris inveniri possent. Plurimi horum versuum e libro Ebrardi (sive Eberhardi) Bethuniensis, qui «Graecismus» intitulatur, sumpti esse videntur. Nam Graecismus Ebrardi, qui anno millesimo ducentesimo bis duodeno in Francogallia conscriptus est, tardo medio aevo multum divulgatus et diffusus est, quam ob rem eius septuaginta codices usque ad tempora nostra pervenerunt, quorum singuli etiam in vicinia Sloveniae hodiernae conservantur, velut duo codices Graecenses, duo Vindobonenses, tres Monacenses. Ex his, quae adhuc narraui, apparet terras Sloveniae hodiernae in medio aevo non ab aliis Europae terris seiunctas et separatas, sed cum eis artissime coniunctas esse, quam ob rem multi libri peregre

in terras nostras pervenerunt. Sane non solum libri, sed etiam magistri et viri docti, qui in monasteriis nostris morabantur et doctrinas externas discipulis nostratibus impertiebantur.

At non solum peregrini in terras nostras veniebant, sed etiam multi nostratum in terras alienas proficisci solebant, non solum in illas in vicinis sitas, velut Vindobonam et Patavium, sed etiam in terras semotas, longinquas et extremas. Itaque, ut exemplo utar, iam in medio saeculo duodecimo Hermannus quidam Slavus de Carinthia in Francogalliam profectus est, ubi in Academia illa celeberrima Carnotensi una cum Bernardo Claraevallis abate philosophiae, astronomiae, astrologiae, geographiae studiis inserviebat. Erat autem hic Hermannus natus de Carinthia, non de Dalmatia, sicut per errorem nonnumquam in libris doctis designatur. Nam Hermannus ipse in Libro introductorio in astrologiam Albumazar, cum Europae terras varias describit, etiam patriae suae mentionem facit his verbis: «*Istriae partes tres, maritima et montana, in medio patria nostra Carinthia.*»

E Francogallia Hermannus noster etiam in Hispaniam profectus est, ut lingua Arabica imbueretur et Planisphaerium Ptolemaei aliaque opera huius tam magni et tam docti viri, quae lingua Graeca iam non existebant, sed in versione Arabica solum conservabantur, legere posset. In Hispania circa fluvium Iberum Hermannus noster Petro Venerabili, illi doctissimo viro, obvenit, qui ei persuasit, ut Mahometanorum librum sacrum Koran Latine verteret: itaque per versionem Latinam, quam Hermannus noster perfecit, Europaei tum primum fontes religionis Mahometanorum cognoscere potuerunt. Hic Hermannus postea et tractatum quendam proprium conscripsit, qui «De essentiis» intitulatur et duos libros continet, in quibus doctrina et sapientia eius, cum mythologia antiqua mirum in modum commixta, nobis pulcherrime apparent.

Sicut Hermannus in saeculo duodecimo, ita etiam in saeculis posterioribus multi alii nostrates in terras varias Europae proficisci solebant, ut studiis artibus disciplinis imbuerentur, ut ipsi libros quoque doctos lingua Latina conscriptos ederent, ut in Universitate Vindobonensi et in aliis scholis et Academiis theologiae, philosophiae, philologiae aliisque disciplinis et artibus liberalibus studerent. Dies deficiat, si eorum omnium nomina et opera hic numerare velim; itaque vix unius vel duorum mihi mentionem facere liceat!

Atque imprimis Bernardi Perger, viri doctissimi, qui erat scholasticus in Universitate Vindobonensi. Cuius «Grammatica nova», anno 1482 primum edita, «Doctrinale puerorum» Alexandri de Villa Dei, quo per totum medium aevum in lingua Latina docenda utebantur, loco suo demovit et eversionem quandam in lingua Latina docenda effecit, nam exstant huius «Grammaticae novae» triginta vel plures editiones posteriores.

Sed et alterum mihi nomen praeclarum occurrit, quamquam iam non in medio aevo, sed in renascenda aetate ponendum est. Hoc est nomen musici suavissimi Iacobi Galli Carniolani, cuius mortis quattuor centennaria mox sollemniter celebrabuntur. Nam natus est Iacobus Gallus in Carniola, in oppido incerto, circa annum 1550, diem supremum Praegae, in

capite Bohemiae, obiit mense Iulio anni 1591. Qui domicilia et negotia sua saepe mutavit, per varia oppida et monasteria peregrinavit; aut, ut ipse scripsit: *«non unum vidi domicilium... peragravi multa, sed praecipue Austriaca Moravicaque; trivi et prope habitavi monasteria; in his etiam non raro, ut ille, silvestrem tenui Musam meditatus avena...»* Plerumque in Austria Inferiori, in Moravia et in Bohemia moratus est, postremo Pragae regens chori factus est, ubi praemature, quadraginta annos natus, vita defunctus est.

Hic Gallus noster permulta carmina non solum ecclesiastica, sed etiam Catulli, Horati, Vergili, Ovidi vocum sonis rescripsit et Latinitatis tantus amator erat, ut linguam Latinam in epistula quadam *«linguarum omnium reginam»* appellaret. Ceterum de suo amore Latinitatis testimonium pulcherrimum nobis ipse reliquit in hoc brevi poemate, quod idem vocum sonis rescripsit:

*Linguarum non est praestantior ulla Latina,
quam quisquis nescit, barbarus ille manet.
Sis Italus, Gallus, Germanus sive Polonus,
nil nisi vulgaris diceris, arte rudis.
Quisquis Latine nequit, nulla se iacet in arte,
nil scit, nil didicit, barbarus ille manet.*

Sicut Hermannus de Carinthia, Bernardus Perger, Iacobus Gallus Carniolanus, ita et alii viri docti et vere humani illius temporis id imprimis studebant, ne gentes Europae finibus et limitibus dividerentur, quibus imperatores reges principes duces regna imperia dominia sua claudere solebant. Itaque se ipsos non imperio et dominio regis vel ducis vel principis cuiuslibet subiectos existimabant, sed magna cum superbia se cives esse rei publicae litterariae gloriabantur, quae sicut animus humanus nullos terminos et limites, nulla confinia novit, sed ubicumque vult, libere pervolat et pervenit. Quorum exemplar splendidissimum utinam et viri docti et vere humani nostrae aetatis imitentur et lingua Latina, quae neminem laedit et neminem offendit, denuo scribere et loqui et inter se communicare incipiant!


Professor Caietanus GANTAR Labacensis
(Prof. Dr Kajetan Gantar, Ljubljana)

ADNOTATIO:

De rebus in hac oratione expositis copiosius et uberius tractatur in variis libris et disputationibus, quarum singulae mihi hic memorandae esse videntur: Bogo GRAFENAUER-Kajetan GANTAR, *Conversio Bagoariorum et Carantanorum* (editio bilinguis, cum introductione et notis, Acta Ecclesiastica Slove-

niae 7, Ljubljana 1985, 9-43); Freisinger Denkmäler - Brizinski spomeniki - Monumenta Frisingensia, edit et redegit Joze POGACNIK (textus Slavicus cum versione Latina et Theodisca, disputationes variorum auctorum; glossarium Slavico-Latino-Theodiscum, conspectus librorum, München 1968); Milko KOS-Fran STELE, *Codices aetatis mediae manu scripti qui in Slovenia reperiuntur* (Ljubljana 1931); Kajetan GANTAR, *Der Kartäuserdichter Syferidus Suevus aus Jurkloster* (cum appendice in quo omnia Syferidi poemata eduntur, Analecta Cartusiana 116, 4, Salzburg 1989, 35-75); Kajetan GANTAR, *Das älteste lateinische Wörterbuch in Slowenien* (Ziva antika 20, Skopje 1970, 231-240); Alfonz GSPAN-Josip BADALIC, *Incunabula quae in Slovenia asservantur* (Ljubljana 1957); Primoz SIMONITI, *Sloveniae scriptores latini recentioris aetatis* (Zagreb-Ljubljana 1972); Primoz SIMONITI, *Der Humanismus in Slowenien und slowenische Humanisten bis zur Mitte des XVI. Jahrhunderts* (Ljubljana 1979); Dragotin CVETKO, *Iacobus Gallus Carniolus* (Ljubljana 1965).

In libris supra memoratis etiam omnia (vel si non omnia, saltem plurima) quae ad priores et vetustiores editiones et disputationes pertinent, facile inveniuntur.



Prof. Caietanus Gantar dum acroasin suam Frisingae facit, mense Augusto anni 1990 inter Scholas Frisingenses.



CONTROVERSIA DE LONGITUDINE MINIMAE LITTERAE

Brevene an longum sit *i* initiale *Italiae*, fuit quaestio in seminario Vestendensi Latino huius anni, de qua controversiam habuimus.

Cotidie de diversissimis rebus et maximi momenti et minoris momenti vel etiam nullius momenti, at semper Latine disputavimus. Non numquam mihi visus sum interesse illi convivio celeberrimo, de quo Macrobius in Saturnalibus suis narrat. Pater Dr Caelestis Eichenseer, vir doctissimus et animo versatili, ut potarcha convivio nostro pro sua humanitate ita moderabatur, ut unusquisque nostrum sententiam proferre auderet. Quondam de linguae Latinae pronuntiatu qui dicitur *restituto* loquebamur. Tunc Pater Caelestis inter alia etiam dixit hoc. Romani bene distinxerunt longas et breves vocales. Talem autem distinctionem aures nostrae vix percipiunt, nedum lingua et os hanc satis clare proferre valeant, propterea quod in plerisque linguis Europaeis talis distinctio non iam exstat. Multis exemplis ex multis linguis allatis rem clare explanavit et probavit, ut qui in hanc rem multum studium insumpserit.

Unus deinde ex grege nostro Patrem Caelestem ipsum falso pronuntiare *Italiam* solere exclamavit, quasi esset *Itália*. «Ita, respondit, facio, quia huius vocis *i* initiale est breve.» «Erras, inquit alter, nam *i* initiale est longum, et hoc pro certo scio, cum in hanc vocem multum investigavi.» Et ut rem probaret, recitavit ex Aeneide versum secundum: *Italiam fato profugus Laviniaque venit*. Sed cum unum exemplum, quamvis clarum, non sufficeret ad rem probandam neque lexica neque textus in promptu essent, causa finita est.

Domum reversus nonnullos libros manu sumpsit, ex quibus haec didici.

Servius auct. ad hunc locum de hac voce *Italiam* adnotat: «*i* contra naturam producta est, cum sit natura brevis.» Quintilianus I,5,18: «...praeterea quae fiunt spatio, sive cum syllaba correpta producitur, ut *Italiam fato profugus* seu longa corripitur, ut *unus ob noxam et furias* (Aen. I.6) extra carmina non deprehendas...» (cf. etiam id. I,5,17).

Propterea hanc vocem poetae Romani antiquiores in versu heroico vitaverunt, quia aures Romanorum offendere nolebant.

Cicero, orator, 173: «...in versu quidem theatra tota exclamant, si fuit una syllaba aut brevior aut longior; nec vero multitudo pedes novit nec ullos numeros tenet nec illud quod offendit aut cur aut in quo offendat intellegit; et tamen omnium longitudinum et brevitatum in sonis sicut acutarum graviumque vocum iudicium ipsa natura in auribus nostris collocavit.» (cf. etiam Cic. de oratore III,156).

Ideo poetae Romani vetustiores pro *Itália* potius

Ausoniam vel Hesperiam, quamvis nomina vix propria, posuerunt quam *i* initiale Italiae metri causa prodixerunt.

Callimachus, h.3,58, primus Graecorum vocem Italiae in versu heroico adhibuisse videtur:

*αἴε δὲ Τρινακίη Σικανῶν ἔδος, αἴε δὲ γείτων
Ἴταλίη μεγάλην δὲ βοήν ἐπὶ Κύρνος αὔτει.*

(id est: Sicilia, sedes Sicanorum, clamabat vel resonabat et propinqua Italia item, et magna voce clamabat Corsica).

Consultone Vergilius in prooemio Aeneïdis hunc Callimachi versum imitatus est, cum *Itáliam* cum *i* initiali longo poneret? Hoc iam in Georg. II,138 ausus erat, sed non in initio versus.

Recte ergo «*Itália*» dicitur. Recte ergo pronuntiavit Pater Caelestis. Lexicon Georgesianum et lexicon a Lewis & Short compositum minus recte *Itáliam* cum *i* initiali longo exhibent, quod tantum poetis, non oratoribus licuit, certe non licet nobis.

Haec hactenus breviter. Praeter commentarios rem fusius tractant:

Kleine Pauly, s.n. Italia,

Leumann-Hofmann, Lat.Gr.⁵, tom. I, p. 105.

Leo STOELINGA
Haganensis



Nonnulli participes seminarii Vestendensis. A sinistris: Ericus Patteeuw, Leo Stoelinga; in posteriore ordine: Iulius Rossignol, Rudolphus Huckemann, Alanus Van Dievoet.

AB OBLIVIONE VINDICENTUR...

OPUSCULA SCHOLASTICA SAEC. XIX (INEDITA)



Sur la mort d'un condisciple

Maerorem nostrum tristi, lyra, carmine dicas...
Tristes ede sonos: exiit heu socius!
Non potuit decus ingenii, non inclita virtus,
non morti pietas splendida ferre moram.
Nam conviva brevis vitae vix pocula prima
hausit, herique dolens nunc videt ipse Deum.
Ut flos vere novo calices ad lumina solis
vernales tollens, sic fuit hic iuvenis.
Venit mors equidem, mors quae disiungit amicos,
quae spes falce secat, quae ferit atque metit;
attamen hoc longo numquam defessa labore
illaque nos inter venit eumque tulit!
Ah fuit atque dolor nobis in pectore quantus!
Est solum nobis corpus inane super!
Talia sed quid ego? Tristes, lyra, desine questus:
laeta magis quadrant carmina tale¹ die.
Incolit haec toties optata palatia caeli...
Laetemur! Semper deinde beatus erit!

Raymond IACOPSEN (1883-1884)

Reverende Pater...

Fecit iter quondam aspectu saevissima virtus
multos perterrens, speciosa ut se obtulit arti.
«En», ait aspiciens artem, «convenimus ambae!
Hostes nos dicunt homines; non res ita restent:
perpetuo geminas iungamus foedere vires!»
Iungunt se comites: placuit iucundior arte
virtus; ars autem decus a virtute recepit.
Haec sunt ficta quidem, pater, at vera insuper addam.
Hisce viris Conscience² et Veillot³ tempore nostro
sese ars et virtus iunxerunt foedere forti.
Ambo florentes fide erant animoque nitentes;
quantas virtutis pactum res proferat ambo
intellexerunt; horum describere vitas
temptamus, pater: o iuvenilibus annue coeptis!
Quin etiam calamo multi certavimus anno;
quis fuerit nostro iuvenis certamine victor,
quis dederit Mariae pulcherrima carmina Matri
praemia iam monstrent: stimulus gratissimus illud
nempe erit ut fortes ad recta sequenda ruamus.
Illaque nostra viros (di!) non Academia tales
ediderat vel scriptores quae gloria tanta;
attamen e nobis audacia pectora surgent,
attamen e nobis exhibit strenua proles
et fortes animi, qui densent agmina Christi!

Raymond IACOPSEN (1884)

Nicolas V, au congrès de Lodi, engage les princes chrétiens à la croisade⁴

Illustrissimi domini,
Cum nuntium⁵ de Constantinopolis expugnatione
mihi perferretur, tantae cladis dolore oppressus
meaque ad irritum cadentis spei sollicitudine impul-
sus, summam rerum commutationem hac victoria
sanctissimae religionis hostium factam diuturnis
temporibus consideravi. Frustra eo maxime incubui
ut invenirem aliquam viam quae fidei vestrae salutem
esset adiumento totque malis afferret remedium.
Hodierno die spe deceptus cogor vos omnes, quorum
prudentiam summamque fidem compertam habeo, in
urbe Lodiensi⁶ convocare. Quod consilium, illustris-
simi viri, me falsum non habuit. Dum revera conside-
ro vos tanta cupiditate vestri pontificis verbis respon-
disse, ad hunc congressum advolasse, non dubito
quin vobis redintegrato animo mea exponam consilia,
firmiterque mihi vos sacerrimae militiae notam in-
duentes fideique vestrae defendendae amore flagran-
tes bellum contra Turcas strenuissime⁷ gessuros
sanctissimamque religionem e periculis educturos
esse persuasum est. Si vero, illustrissimi domini, tam
audacter apud vos verba facio, si minime consilia mea
iudico ab vestris oculis avertenda, ne perperam me sic
agere putetis. Omnis enim hic hodie formidinis
amissa memoria, novam spem mihi sentio afferi cum
mihi succurrit vos ex ea heroica stirpe ortos, quae
toties altitudine virtutis, magnitudine pietatis et
numero proeliorum in innumerabilibus pugnis sanc-
tissimae religionis hostes profligavit. Numquam
enim, illustrissimi viri, horum clarissimorum belli
artibus virorum pectus meum memoria maior offudit
nec in tanto consessu principum tantas ullo modo res
gestas, tam denique incredibilem in adversis casibus
firmitatem praeterire possum. Qui vero, Christiano-
rum cladibus in Palestina auditis, tum fortissime
Godefrido Bullonii duce imperante, eorum hostes
devicerunt Ascalon, tum paulo serius, summo impe-
rio exercitus Balduino Flandriae comiti delato, Con-
stantinopolim vi ceperunt maximaeque virtutis conti-
nuo specimen dederunt. Quin etiam recentissimo
tempore, Christiani, nonne quidam eorum Hyniadis
auxilio venientes Turcarum manibus summam in
Jalovaz praeripuere victoriam? Hos qui hodierno die
omni Europae terrorem iniecerunt cum non invictos
aspicitis, nonne tam fortissima⁸ maiorum exempla
imitantes Turcis bellum indicetis? Dum tot et tantis
maiorum victoriis nondum perdomiti Turcae nihil ad
alios populos in suam redigendos potestatem sibi

reliqui faciunt, Christianos forsitan omni amore in Christi cultum deposito occasionem eos oppugnandi dimittent nec tantis conatibus resistere audebunt? Quod numquam, illustrissimi domini, mihi persuadere potui. Iam iam recentissima victoria sublatis omnibusque finitimis populis imperantes bello ulciscendarum cladum, quas in ultimo bello pertulerunt ab Hunyadi legionibus, summa ardent cupiditate. Cum vero natio omni auxilio destituta tantisque copiis resistere impotens sese in dicionem et arbitrium dedit, ipsius iure victoriae ignavissime utentes eam cogunt ut⁹ repudiet catholicam fidem. Ad quod obtinendum et servitutis horrore et cruciatus magnitudine crudelissimaeque mortis utuntur supplicio. Quis tam fuit in hoc consessu durus, qui non tot calamitatum memoria, tantarum miseriarum descriptione tantorumque cruciatuum imagine commoveretur? Quis denique tam fuit ferreus, qui non matribus patribus ipsis ab extremo complexu liberorum exclusis veniret adiutor? Sit ita sane, fortissimi viri. Frustra revera fratres vestri omni ope atque opera enitentur ut non modo libertatem, sed etiam cultum servare tyrannicisque Turcarum legibus sese subducere possint; frustra spe deturbati pro familiis, pro patria et religione decertant, ingenti numero hostium continuo opprimuntur. Quid, illustrissimi viri? Cum fratres vestri a vobis opem auxiliumque petunt ut recuperent libertatem crudelissimamque mortem praeventant, tot malis vos mederi abnuetis omnis humanitatis expertes? Tot infortuniorum tantarumque calamitatum vos ad misericordiam non allicebit¹⁰ memoria? Nonne denique arma capessetis ut eorum populorum conservetis fidem? Maiores vestri, illustrissimi principes, qui continuo in discrimen ultro sese committebant sacerrimumque bellum sub vexillo crucis suscipiebant, hodierno die ut saluti fratrum adiumento sitis vobis imperare videntur. Ex penitissimo sepulchro praecipiunt vobis ut equitum Christianorumque officii obnoxii opem feratis fratribus et denique de propriis vestris rebus meditemini. Serius enim fortasse, principes, si nunc rei faciendae potestate concessa occasionem Turcarum exercitus prohibendi dimittitis, facilius omnibus finitimis populis frequentatum profligabitis? Cum cuidam nationi in posterum indicetis bellum, odio in vestram religionem impulsus Turcae vos bello confectos aggredientur aut impetuum continuitate, potestatis magnitudine et numero copiarum vos sollicitos tenebunt. Itaque nisi hodierno die sacrum capessitis bellum infestissimorumque vestrae religioni hostium disturbatis incepta, aliquando fortissimi viri innumerabilibus legionibus in Europam impetum facientes non solum vobis fidem, libertatem abripiant, sed etiam summa impulsus credulitate, incendio ferroque vastatis domibus, omnia cruore atque luctu complebunt. Sacrum igitur, fortissimi viri, capessite bellum Turcasque magnitudine vestrae virtutis et splendore victoriarum a progressu prius arcete quam tyrannicas leges et vobis omnique imponant Europae. Si vero, Christiani, tanta non ardetis cupiditate, ut brevi eis bellum indicatis, immortalem gloriam acquirere saltem temptate oculosque conicite in hanc crucem ibique hanc animi firmitatem, hanc audaciam perquirite. Si denique gravissimis malis timetis onerari,

cogitate, Christiani, Iesum Christum amore in homines pulsum acerbissimisque doloribus et pro vobis et pro omnium salute cruciatum ignominiosa crucis affectum esse morte; qua ex cruce hodierno die ut auxilio veniatis fratrum imperat¹¹. Itaque hoc signum inducite crucis et cum egredimur consessu, illustrissimi principes, sicut maiores nostri «Deus vult, Deus vult!» omnibus Europae populis coram exclamemus.

H. VAN INNIS (1858)

Adnotatiunculae

- 1 Tale = talli (cf. F. Neue - C. Wagener, Formenlehre, 2, p. 56).
- 2 Conscience = Henricus Conscience (1812-1883) Belga, scriptor praeclarus.
- 3 Veuillot = Ludovicus Franciscus Veuillot (1813-1883) Francogallus, scriptor et diurnarius, incorruptae fidei defensor strenuus.
- 4 Nicolaus V P.M. (1447-1455) principes Christianos accepta clade Constantinopolitana adhortatus est frustra ut expeditionem cruciatam adversus Turcas susciperent. Memoratur i.a. Ioh. Hunyadi (° ca. 1387) dux Hungaricus victoriis in Turcas clarus.
- 5 Nuntium = nuntius.
- 6 Praestabat: «in urbem Laudensem». Urbs Laudensis (Laus, Lauda, Laudum, Laus Pompeia) a civitate Mediolanensi non ita longe abest.
- 7 Strenuissime = maxime strenue (legitur i.a. apud Catonem et Augustinum).
- 8 Tam fortissima = tam fortia (alia exempla Latinitatis dubiae adferuntur in LHS, Lat. Gramm., II, p. 167; at ibi Apul. apol. 9 minus apte laudatur).
- 9 Cogunt ut: structura qua et Tullius interdum est usus.
- 10 Allicebit = alliciet; cf. Char. Gramm., I, p. 244.
- 11 Imperat: sc. Christus.

Saeculo XIX cum institutio Latina compluribus in gymnasiis horas hebdomadales obtineret amplius denas, mos erat ut alumni Latine scribendo ipsi se accingerent. Summam enim praeclarorum scriptorum artem cum imitarentur, ad interiores litteras facilius accedere non iniuria putabantur. Experimenta autem ea publici interdum fiebant turis; quae etiamsi arte et ingenio minus saepe eminebant, Latinae linguae peritiam saepe demonstrabant. Extat e.g. «Recueil de vers latins composés par les élèves du collège de Méaux dans le courant de l'année 1820» (Meldis, 1821); prae ceteris enim Francogalli id genus opuscula typis mandare solebant. Belgarum vero primitias Latinas ut cognoscamus libros oportet adeamur manu scriptos, qui in tabulariis gymnasiisque ipsis etiam nunc adservantur. Exercitia ergo hic primum edita perfecerunt discipuli Gandavenses qui in collegio Sanctae Barbarae versabantur; quibus erat Academia quaedam Latina, quae tertio quoque solis die adunabatur: in ea igitur suasoria ista et carmina sunt recitata.

Theodoricus SACRE Lovaniensis

BELLUM HIBERNUM

VIA DOLOROSA LIBERTATIS FINNORUM

ACROASIS IN SEMINARIO GRANIVICENSI VIVAE LATINITATIS 3.7.1990
ET IN FERIIS LATINIS NICENSIBUS 24.8.1990 HABITA



PARS PRIMA

Mense Februario anni 1940 vix quisquam Finnorum divinare audebat fortunam patriae nostrae tam prosperam fore, ut quinquaginta annis post haud mediocri opulentia usi nobis felicem eventum belli ea hieme gesti - belli quod vocatur hiberni - gratulari ac semisecularememoriam eius celebrare possemus. Constat nonnullos, in iis populos Balticos, qui illis ipsis temporibus aperto bello vitando Russis morem gerere studuerant, sortem nostram miseratos esse, nec defuisse, qui nos Finnos temeritatis condemnarent, quippe qui priore autumno ea, quae Sovieti postularent, superbe negavissemus bellumque oriri passi essemus, quod sine dubio libertati nostrae perniciem futurum esset; Balticos autem populos velut a versu Senecae «Ducunt volentem fata, nolentem trahunt» (Epist. 107,11) exemplum petentes melius salutis suae consuluisse.

Labentibus annis omnia contra, atque in Baltia existimatum erat, evenerunt: Finni multo quidem sanguine fuso et circiter decima parte patriae amissa tamen libertatem servaverunt, Baltici vero populi a Russis subacti paullatim tam artis vinculis et politicis et oeconomicis cum Unione Sovietica coniuncti sunt, ut libertatem initio sibi promissam et postea ereptam nullo modo recuperare possent. Quoniam eorum condicio sit hodierna, omnes scimus. Neque dubium est, quin sine miraculo belli hiberni, quod non solum in Finlandia, sed etiam extra Finlandiam varia ratione aestimatum est, noster quoque populus pari fere condicione futurus fuerit. Quae res cum nuper omnibus clarior facta sit, ne «finlandizatio» quidem, ut dudum, nobis iam contemptui et derisui est, sed saepe potius laudi et honori.

Bellum nostrum hibernum non fuit res solitaria, sed pars aliarum rerum bellicarum latius patentium, quae illis annis in Europa atque etiam extra Europam gerebantur aut apparabantur. Perscrutanti igitur causas eius necesse est, qualia praecipue in Europa tum fuerint tempora, breviter memoria repetere.

Quarto decennio saeculi nostri inter nationes Europae occidentalis paullatim variae dissensiones ortae erant, quae in singulos annos crescebant et acriores fiebant. Earum «primus motor» optimo iure haberi potest Adolfus Hitler, vir socialismi nationalis insana dulcedine et «tertiis imperii» condendi immensa

cupiditate incensus, quem condiciones pacis post primum bellum mundanum acceptae usque graviter angebant. His dissensionibus Unio Sovietica primo se abstinere conata erat, sed mox eius quoque societas a quibusdam nationibus Europae occidentalis in liti-bus diiudicandis appeti coepta est. Neque principes Unionis Sovieticae fugere potuit suam quoque rem agi, si «paries proximus» ardesceret; omnes igitur oras maris Baltici - necnon Sinus Finnici et Sinus Bothnici - tuendas esse, ne quis aut per terras Balticas aut per Finlandiam in fines Sovieticos invaderet. Simul iis apparuit sibi occasionem offerri propriae potestatis augendae, dummodo bene res gererent ac prudenter dividere et imperare scirent.

In societate cum Sovietis iungenda ceteris meliorem se praestitit Hitler. Is enim die 23 mensis Augusti anno 1939 cum Generalissimo Iosepho Stalin consultans effecit, ut inter Germanos et Sovietos pactio invicem non aggrediendi in decem annos fieret. Simul ministri rerum exterarum utriusque nationis, Iochim von Ribbentrop et Vjatseslav Molotov, secretum protocollum extraordinarium scripserunt. In eo spatium terrarum Germaniae et Unioni Sovieticae contiguarum in duas partes divisum est, quarum in una illius, in altera huius res plus valerent. Ita partes occidentales Poloniae ac Lithuania attributae sunt Germaniae, Unioni autem Sovieticae partes orientales Poloniae, Lethonia, Esthonia, Finlandia. Paulo post etiam Lithuania in partem Sovieticam translata est. Illa facta, de quibus palam loqui usque ad nostros dies prope nefas habitum est, hodie ne Sovieti quidem infitiantur.

Postquam copiae Germanorum die primo mensis Septembris in Poloniam penetraverunt, Sovieti non diu populos Balticos et Finnos consilia sua celaverunt. Cum illi non recusarent, quominus in fidem Sovieticam reciperentur, nostri confestim ad patriam defendendam arma expedire coeperunt. Diebus 11 et 12 mensis Octobris omnes Finni solito militiae munere perfuncti, qui per aetatem arma ferre possent, conscripti sunt, ut extra ordinem ad bellum gerendum praepararentur. Eodem tempore legati Finnorum, quorum princeps erat Juho Kusti Paasikivi, a Sovietis vocati Moscuam se contulerunt, qui de «instantibus rebus politicis» consultarent. In illis consultationibus Sovieti, quibus praeerant Stalin et Molotov,

dicebant sibi id imprimis curae esse, ut Leninopolis satis tuta fieret. Quam ob rem confinium Unionis Sovieticae et Finlandiae necessario longius ab hac urbe transferendum esse; praeterea Sovietis nonnullas insulas Sinus Finnici tradi oportere ac veniam dari naves et praesidia Hankone collocandi. Finnos, si haec concessissent, pro ea re dimidio amplius spatium terrarum iuxta confinium orientale sitarum accepturos. Legatio nostra Sovietis persuadere conabatur nihil periculi iis a populo Finnico imminere; sese quidem fortasse aliquid iis gratificari posse, non autem condiciones ab iis allatas prorsus accipere, ut quibus incolumitati Finlandiae atque comitatibus cum Europa occidentali parum caveretur.

In consultando circiter totus mensis paucis intermissis diebus consumptus est. Die 13 mensis Novembris legati nostri, inter quos hoc in tempore etiam Väinö Tanner erat, infectis rebus Moscua domum reverterunt. Consultationes, ut ita dicam, in medio relictas erant. Insequentibus duabus septimanis animi civium inter spem pacis et metum belli versabantur. Erant, qui crederent Sovietos hieme appetente bellum vix suscepturos esse. Itaque milites iam conscripti paullatim dimitti coepti sunt, ac multae familiae, quae iam rus confugerant, in urbes remigraverunt. Interim Sovieti novas copias prope confinium Finlandiae attulerunt rati eam non minus facile expugnatum iri, quam Polonia paulo ante ancipiti hoste urgente Germanis et Sovietis succubuerat.


Die 26 mensis Novembris speculatores Finnorum Mainilae, in vico Careliae trans confinium sito, multas explosiones viderunt. Eiusdem diei vespere Molotov has explosiones Mainilanas, quibus quattuor milites occisi et novem vulnerati essent, culpae Finnorum tribuit. Causa cognita apparuit artillariam Finnica a Mainila spatium aliquanto longius abesse, quam quae illas explosiones efficere potuisset. Nihilominus Molotov Finnos inimici in Sovietos animi accusare pergebat petentibusque iis novas consultationes, ut copiae utrimque a regionibus iuxta confinium sitis paulum removerentur, superbe respondit. Parem repulsam a Sovietis tulerunt Foederatae Civitates Americae Septentrionalis ad pacem conciliandam se interponere conatae. Sovieti pactionem invicem non aggrediendi cum populo Finnico quibusdam ante annis factam atque omnes relationes diplomaticas dissolverunt. Iam ultimo die

mensis Novembris copiae Sovieticae et terra et mari et aere Finlandiam oppugnare coeperunt.

Ita pace rupta non solum in Finlandia, verum etiam alibi in Europa plerique intellegebant Sovietos bellum ipsum petivisse neque tumultum Mainilanum quidquam fuisse nisi causam ab iis interpositam arma Finnis inferendi. Si quis non credebat rem ita se habere, iam postero die - die 1 mensis Decembris - omni dubitatione absistere coactus est; tum enim Sovieti Finlandiae novum gubernium «democraticum», cui praeeset Otto Wille Kuusinen et quod in oppido Terijoki sedem haberet, veteris loco positum esse declaraverunt; sese tantum cum hoc gubernio Terijokiensi de Finlandia acturos.

His de rebus cum fama vulgata esset, tota Finlandia tantus furor excitatus est, ut fere ad unum omnes summa consensione ad patriam contra Sovietos - vel potius contra Russos - defendendam parati essent. Id ipsum, quod Stalin et Hitler foedere inter se facto Finlandiam velut terram suae possessionis reddiderant, etiam communistarum nostrorum longe maximam partem ab Unione Sovietica abalienaverat. Insequentibus diebus multae nationes palam se indignari declaraverunt, quod Sovieti tam turpiter Finnis


ultra bellum intulissent. Die 14 mensis Decembris Sovieti ab Unione Nationum expulsi sunt; simulque placuit, ut Finnis adversus eos pugnantibus variae res ad vivendum necessariae mitterentur. Non igitur iure dici potest Finnos omnino solos se defendisse, quamquam exceptis circiter decem milibus voluntariorum, quorum pluri erant Sueci, Finnis nulla auxilia externa sunt missa.



Isthmus Careliae. In parte meridionali eius iacent vicus Mainila, ubi 26.11.1939 "Finnis auctoribus", ut falso contendebant Russi, multae explosiones factae sunt, et oppidum Terijoki, ubi gubernium "democraticum" Finlandiae a Russis 1.12.1939 constitutum sedem habebat.

Ipsam bellum centum et quinque dies hibernos frigidissimos duravit. Singula proelia enumerare omitto; potissimae

tantum regiones nominentur, in quibus Sovieti Finnis multitudine superiores tamen stationes eorum diu frustra perrumpere conati sunt: Taipale, Summa, Kollaa, Tolvajärvi, Suomussalmi. Neque hae regiones omnes in Isthmo Careliae sunt, sed diversis locis prope confinium Finlandiae et Unionis Sovieticae, quod paene mille quadringenta chiliometra longum est. Ex tabula geographica subiuncta (cf. p. 12) fortasse aliquid de processu belli concludere potestis; in qua sagittae ostendunt, qua ratione copiae Sovieticae per totum confinium dispositae videlicet Finlandiam



Copiarum Sovieticarum plurimae per Isthmum Careliae in Finlandiam penetrare conabantur; nonnullae earum etiam alibi per totum confinium paene 1400 chiliometra longum dispositae erant, quae invasione Finlandiam in plures partes dividerent. Sagittae ostendunt, quae ratione Sovieti Finlandiam expugnare meditati esse credantur.

in plures partes divisam expugnare iussae sint. Causa secundae fortunae, qua Finni initio belli usi sunt, sine dubio fuit extrema illa consensio nationalis: constabat omnibus Finnos bellum oriri noluisse, sed ad bellum coactos salutem suam acerrime tueri velle. Hic animus qui vocatur belli hiberni - *talvisodan henki* - qualis fuerit, fortasse clarissime ostendit *Sillanpään marssilaulu*, cantus bellicus, quem composuerat Frans Emil Sillanpää, scriptor noster illustrissimus, et qui illis temporibus assidue cantabatur. In eo non res bello bene gestae per se laudantur, sed simpliciter monetur patria in discrimen vocata unumquemque domestica relinquere debere ac pro virili parte libertatem tueri. Huius cantus textum translatione Latina instruxi; quae cum fortasse quibusdam locis aliquid rhythmici originalis conservaverit, tamen vena poetica omnino carens nihil esse vult nisi paraphrasis prosaica stropharum Sillanpääensium:

*Cantus hic loca patria permeans
rura nostra salvare iubet.
Ab Hankone profectus ubique sonans
Petsamonem perveniet.
Par incessus est agminis;
sentit intimum pectoris,
patres ut iam humati sub tumulos
tueantur nunc filios.*

*Tu, frater, procedens mi proximus,
cur simus hic, conscius es.
Laetanter nos huc properavimus,
convocavit quo nostra res.
Mos notus iam patribus
filiorum in manibus:
in discrimen cum incidit patria,
relinquuntur domestica.*


*Quascumque habemus divitias,
libertate nil est melius.
Licet rectus hic stes sive concidas:
datum omnibus aequum ius.
Vos infantes, nec non senes,
atque matres et virgines:
Lar tutus et vobis non deerit,
dum vel unus vir vivus sit!*

In tertia stropha fit mentio matrum et virginum sive sponsarum, quae viris in bellum vocatis domi manserant. Ultimos versus minime ita intellegi oportet, ut viri soli Lares domesticos defenderint feminaeque interim otiosae reditum eorum exspectaverint. Immo plurimi aestimanda est sedulitas infatigabilis, qua feminae quoque operam suam ad patriam defendendam conferebant ac sibi non parentes diversis muneribus fungebantur, ut viris in acie militantibus quam maximo essent subsidio simulque eorum loco necessarias res domesticas curarent. Sine industria feminarum - praesertim ordinis *Lotta Svärd* appellati - animus ille belli hiberni multo minus

efficax fuisset. Quamquam matres a filiis adultis et adolescentibus, uxores a maritis, virgines a sponsis plerumque procul aberant ac litteris tantum cum iis res communicare poterant, tamen animo cum suis esse numquam desinebant. Quare in Finnis huius temporis optime valet mutatis mutandis idem, quod Tacitus de Germanis antiquis narrat; milites enim nostri, etsi non «in proximo pignora» habebant, tamen ad matres, ad coniuges nec non ad alias feminas vulnera ferebant, nec illae numerare aut exigere plagas pavebant, cibosque et hortamina pugnantibus gestanda curabant (cf. Tacitus, Germania 7,2).

(Continuabitur in proximo fasciculo)

Ericus PALMEN
lector linguae Latinae
Universitatis Granivicensis



DE PEIO IAVOROV SYMBOLISTA BULGARO

Symbolistam Bulgarum Peio Iavorov iam in Melissa numero 34 aliquot eius carminibus Latine versis repraesentavimus. Quam puellam, veram an imaginariam, ad se vocaverit, dum «Veni iam denique neve timueris» scribit, ignoramus.

Atris animi perturbationibus agitated Iavorov lucem, consolationem, amorem placidum requirebat. Duas animas, divinam et diabolicam, in semet ipso pugnare credebat, ut alio in carmine confitetur, nam

duabus viribus contrariis nocte dieque excruciebatur.

Vim dramaticam carminis Bulgarici in versione quam maxime servare studebamus. Gravis poetae spiritus imaginibus poeticis magnifice exprimitur: desperatus est et tamen sperat, nullius rei habet fidem et tamen fidit, neminem amat atque a nullo amatur, sed amore fervido abundat.

VENI IAM DENIQUE NEVE TIMUERIS!

Noli timere, iam denique venias,
curas tristissimas animi lenias!
Livor vestigia mea persequitur,
semen ubique corruptum conseritur.

Fossa hiascet, si quando substitero,
omnino spes sepelitur sic misero;
sed iter iterum meum suscipio,
velut ex utero matris effugio.

Licet fortunam adversam cognoveris,
veni iam denique neve timueris!

Sonat in tenebris stridor serpentium,
ranarum concinit vox coaxantium,
diurno lumine visus perstringitur,
nocte loquendi facultas eripitur.

Ipsam identidem memet calumnior,
validus inter infirmos reicior,
frangor - at fractus ab eis effugior.

Veni, puella, te precor, cum peream
et desperata re mortem mox obeam,
testificare me bono confidere
atque pro bono iam vitam deponere!

Veni, puella, sum fragilis animo,
nec tamen perii frigore maximo!
Testificare, quam sit sine finibus
ingens et fervidus amor in cordibus!

Licet fortunam adversam cognoveris,
veni iam denique neve timueris!



DE CONVENTU SICTONIENSI

Sictonia sive Sictona (Suetice Sigtuna) est urbs mediae Sueciae, quam iam Adam Bremensis in opere «Gesta Hammaburgensis ecclesiae pontificum» intitulo circa annum 1075 civitatem magnam appellat. Sedes episcopalis ibi constituta est iam circiter anno 1130, quae tamen postea Upsaliam translata est. In veteribus Suecorum annalibus civitas Sictonia anno 1187 a paganis incensa et combusta fuisse narratur, qui pagani Careli postea (circiter anno 1130) appellantur et hodie quoque habentur. Octavus Finnorum episcopus, Dominus Iohannes (1286-1290), antequam praesul Aboensis eligeretur, prior fuerat Sictoniensis. Haec hactenus de historia urbis Sictoniae eiusque primis cum Finnia relationibus.

A die 6 usque ad diem 10 mensis Augusti fuit Sictoniae conventus latinistarum, quem instituerat Foederatio Sueciae Classica (Svenska Klassikerförbundet), quae ex magistris linguarum classicarum constat, cooperantibus et adiuvantibus summis administratoribus rei Suecorum scholasticae (Skolöverstyrelsen). Secretarius comitatus, qui conventum convocaverat et omnia optime disposuerat, erat Iohannes Nyman. Aedes, ubi participes conveniunt, sitae sunt in amoenissimo colle suburbano, qui Suetico nomine «Sjudarhöjden» gaudet. Ibi participes totam per septimanam singula cubacula habuerunt, ibi optima erat caupona ad cibos lautos sumendos, ibi auditoria satis ampla et omnibus instrumentis et necessariis auxiliis ornata suppeditabant.

Erant in programmata acroases, orationes, lectiones ad linguarum classicarum institutionem pertinentes. Novi libri scholares demonstrabantur, novae methodi paedagogicae tractabantur, de rebus linguisticis disserebatur. Neque mirabilia urbis Sictoniae neque regionis circumiacentis negligebantur, quae

excursionibus usque ad urbem Upsaliam factis illustrabantur.

Plurimum gaudebam, quod hospes invitatus conventum Sictoniensem per biduum participare potui. Quamquam ceterum programma Suetica factum est lingua (quam et bene scio et amo), mihi permissum erat, ut orationes meas Latine pronuntia-rem. Id enim ad vivam Latinitatem propagandam a moderatoribus petiveram.

De Kalevala Latina, de nuntiis radiophonicis Latinis, de seminario huius aetatis Granivicensi aliisque rebus ad modernam Latinitatem pertinentibus meis in orationibus narravi. Etiam videocasetam Granivici factam monstravi, unde praesentes Caelestem Eichenseer et Gaium Licoppe aliosque collegas latinistas cognoverunt. Audiverunt et viderunt etiam cantatricem Reine Rimon Latine de Sanctis caelum ineuntibus (*When the Saints go marching in*) cantantem.

Sunt in Suecia centum septuaginta scholae, in quibus hodie Latine docetur et discitur. Aderant in conventu Sictoniensi plus minus triginta linguarum classicarum magistrae magistrive. Huius generis conventus in Suecia fieri tantum semel quinquennio solent. Antea facti sunt in eadem urbe Sictonia annis 1980 et 1985.

Multos Sictoniae optimos latinistas conveni, multos amicos inveni. Neque mihi videor frustra de viva Latinitate locutus esse, nam tres et viginti ex praesentibus Melissae subnotatores vel subnotatrices fieri voluerunt.

Thomas PEKKANEN
Helsinkiensis

sequitur p. 1

Nondum quicquam comperimus de actis huius colloquii. Propositum tamen nobis valde laudabile visum est; sed aliquid est notandum: lingua Latina non solum pertinet ad homines qui quadam lingua Romanica utuntur. Lingua Latina etiam maximum momentum habet in regionibus centralibus, orientalibus et septentrionalibus Europae, ubi linguae ver-

naculae non sunt Romanicae. Quin etiam usus linguae Latinae diutius servatum est in his regionibus non Romanicis. Inter aequales nostros plures ipse conveni ex his regionibus oriundis qui callerent linguam Latinam et Latine sermocinari valerent, quam ex regionibus Romanicis.

Gaius LICOPPE



DE PRINCIPIIS LIBERAE REI PUBLICAE

I

Permultae cum sint definitiones libertatis, difficile nobis esse videtur intellectu, quid sit libertas. At Cicero in Paradoxis (5,1,34) libertatem definiverat «potestatem vivendi ut velis» idemque in oratione in M. Antonium sexta (Phil. 6,7,19) libertatem populi Romani propriam esse dixerat. Et Carolus de Montesquieu in celeberrimis de spiritu legum libris (11,3) docuerat libertatem in eo consistere, ut facere tibi liceat, quod velle debeas, et ut facere non cogaris, quod velle non debeas. Cetera vero multa exempla afferre longum est, sed res ipsa ex exemplis cum non perficiatur, finem statuamus definitionum et rei ipsi incumbamus.

II

Liberam fuisse Romanorum rem publicam ex his signis cognoscitur.

1) Consules imperio (maximo et quasi absoluto) cum utantur, tamen praeceptis quominus imperio suo abutantur impediuntur his:

- quotannis novi eliguntur consules
- sunt duo consules, quorum imperium in dies mutatur
- imperium extra pomerium valet, non in urbe.

2) Dictator imperio absoluto fruitur intra et extra pomerium, sed dictatura usque ad sex menses solum manet et valet.

3) Praetores etiam quotannis novi eliguntur, et potestas praetorum quae est iudiciaria intra urbis moenia tantum valet.

4) Per legem Hortensiam anni 287 a.C.n. bella civilia erant finita: plebis scita enim cum legum haberent vigorem, plebi eadem inerat maiestas atque populo.

5) Tribuni plebis iuribus maximi momenti praediti sunt:

- ius intercedendi
- ius auxilii (adiuvant tribuni plebeium)
- sacrosanctitas.

Sic et per multas alias res Romani id agebant, ut rei publicae suae inesset libertas uniuscuiusque civis.

III

Nunc vero quomodo instituatur libertas a Lege quam vocant Fundamentali Germanorum explicare volumus. Qua in lege legimus nomen ordinis democratici libertate usi (= «Freiheitlich-demokratische Grundordnung»): et quoniam hoc nomen in lege ipsa non definitur, summi iudices huius nominis valore anno 1952 p.C.n. definiverant et sic implicite praescripserant, qua methodo libertas politica efficeretur in sua re publica. Constat autem hic ordo democraticus libertate usus in septem rei capitibus:

1) Observantia et reverentia illorum hominis iurum, quae in Lege Fundamentali conscripta sunt, praesertim iuris illius, quo sua cuique facultas vivendi ingenii virium evolvendarum et aperiendarum conceditur.

2) Maiestas populi, qua efficitur, ut res publica tota sit posita in populo toto.

3) Separatio vel divisio potestatum quae sunt et legislativa et executiva et iudicativa.

4) Ratio ac responsio moderatorum, id est executivae potestatis, quae ratio ac responsio fit ante parlamentum.

5) Legitima administrationis officia: administratio igitur et magistratus semper leges sequantur necesse est.

6) Independentia iudicum vel potestatis iudicativae.

7) Institutio plurium partium politicarum, quibus iura eadem tribuuntur eaeve oppositionis quam vocant officio fungi possunt.

IV

Singula haec praecepta nunc explicabimus, ut quid sit in hodiernorum temporum re publica libertas intellegamus.

1) Hominis iura differunt et a primis iuribus et a civium iuribus. Hominis iura sunt haec: dignitas hominis, ius vivendi, libertas personae, aequalitas omnium quoad legem. Inter prima vero iura nominanda sunt haec: libertas opinionis, libertas artis et scientiae, officium parentum (non rei publicae) liberos educandi, proprietas privata et aliae multae libertates. In civium autem iuribus inter alia ponenda sunt haec: ius eligendi, ius coalitionis, libertas laboris vel professionis, civitas.

2) Res publica consistit in populo, non in magistratu quodam.

3) Potestates magistratuum dividantur inter se necesse est, ne unus sua potestate maxime abutatur. Ratio vero et fundamentum separationis potestatum in eo est, quod posita est potestas tota in re publica, non in variis hominibus, et quod res publica iure et recte potens est. Apud rem publicam igitur est armorum monopolium: aliter enim quin orientur bella civilia dubitari nequit (sunt exempla atrocita in mundo hodierno). Res publica autem ne evertatur et iniustitia nitatur, dividuntur et separantur potestates!

4) Moderatores, cancellarius et ministri, ante parlamentarios profitentur, quid fecerint faciant facturi sint: parlamentarii enim ad id electi sunt, ut et adiuvent et censeant moderatores.

5) Extra legem vel sine lege ne quid efficiat potestas executiva vetitum est.

6) Iudices liberi sunt quoad rem et quoad personam.

7) Sunt in re publica plures (duo, tres, plures) partes politicae, quae varias tenent opiniones. Unaquaeque earum id agit, ut maior a populo eligatur pars: sic mutari possunt moderatores, et electiones quinto quoque anno erunt (non refert an septimo vel tertio quoque anno, debent vero electiones tempore praescripto iterari).

DE NOVIS LIBRIS

Confinia lucis et umbrae. Iosephi Tusiani Neo-Eboracensis carmina Latina, selecta atque edita a Theodorico SACRE, Lovanii ex aedibus E. Peeters, 1989, 60 p., 445 FB.

Iosephus Tusiani poeta Neo-Eboracensis lectoribus nostris bene est notus, cuius opera in Melissa iam aliquotiens sunt edita, curante prof. Theodorico Sacré. Idem prof. Sacré selecta amici sui Tusiani carmina modo edidit quibus pulchrum dedit titulum: «Confinia lucis et umbrae».

Non pauci - inter quos ego, ut verum fatear - hodierna timent carmina Latina, quae nihil redoleant nisi sterilem antiquorum imitationem athleticamque rhythmorum exercitationem. Legant illi carmina Iosephi Tusiani: invenient veram poesin Latinis versibus adhuc exprimi posse. Ecce, ut in professoris Sacré praefatione legetis, ecce poetam qui tempus non perdit in caesuris ponendis longitudinibusque numerandis. Ecce verum poetam qui lectoris animum pulchre scit commovere.

Sed haec pulchra excerpta clarius loquuntur:

Centum me calidis opprime basis,
forti me furia destrue flammea:
nobis fata negant flectere sidera
quae impellunt hominum perfida crimina...
(*Deinde centum*, p. 21)

Mi tranquille
parve pulle,
stant in valle
pulchrae villae
et corollae
sunt favillae,
quovis calle
micant stellae
donec velle
vincit nolle,
sed, pusille,
pupe pulle,
crista galli
est in colle...
(*Naenia gallinacea*, p. 23)

Primo vere, primo vere
nullus potest homo flere
cui amorem di dedere...
(*Primo vere*, p. 25)

...Pulcher est vesper moriturque lenis,
sed mori numquam poterit serena
lectio aeternae facilisque vitae
mortis in umbris.
(*Doctrina vesperi*, p. 37)

Futiles, o nox, pereant poetae
in tua argute vehemente vita:
non potest fallax hominum loquela
te celebrare...
(*Melos nocturnum*, p. 38)

Ultimae guttae saliunt sonorae,
deinde sub terra pereunt silenti:
vita sic finit, moriente cantu,
casta poetae.
(*Fons siccus*, p. 52)

Francisca DERAEDT

DE NUNTIIS LATINIS ET RADIOPHONIA FINNICA MISSIS

GMT/UTC	Lunae die	Martis die	Mercurii die	Iovis die	Veneris die	Saturni die	Dominico die	kHz/m
EUROPA - AFRICA								
1515						Nuntii Latini		9640-31 m2
1950							Nuntii Latini	252-1190 m
2200							Nuntii Latini	558-538 m
2400							Nuntii Latini	252-1190 m
AUSTRALIA - ASIA MERIDIONALIS								
0915						Nuntii Latini		17800-16 m
AMERICA								
1205	Nuntii Latini							15400-19 m
1315	Nuntii Latini							
1440							Nuntii Latini	
0015							Nuntii Latini	
ASIA ORIENS								
0945						Nuntii Latini		15245-19 m
2215							Nuntii Latini	11755-25 m